

**N**unc factus est homo DEUS!  
prognatus ē sinu Patris, Rex universi & conditor,  
puer pueræ nobilis,  
geminæ gigas substantiæ.

**Nunc factus est homo DEUS!**  
sux creaturæ datus:  
Creator, o mysteria!  
factorque facturam subit.

**Nunc factus est homo DEUS!**  
natura sed manet Dei,  
essentiæque infinitas,  
substantiæque æternitas.

**Nunc factus est homo DEUS!**  
at vera majestas manet,  
mortalitas nec tollitur,  
humanitas nec perditur.

**Nunc factus est homo DEUS!**  
in ventre castæ virginis:  
portant pueræ viscera,  
cui tota paret machina.

**Nunc factus est homo DEUS!**  
domo pudici pectoris  
vis omnipollentis Dei  
lubens volensq; includitur.

**Nunc factus est homo DEUS,**  
prodit recens infantulus:  
infante foeta parvulo  
puella bajulat Deum.

**Nunc factus est homo DEUS!**  
alvus pudicæ virginis  
sit aula Sancti Spiritûs,  
umbraculumque Altissimi.

**Nunc factus est homo DEUS!**  
resum creator omnium,  
sapiens, potens, omnisciens.

**Nunc factus est homo DEUS,**  
qui luminare maximum,  
jubarq; septstellij,  
Lunæq; fixit orbitam.

**Nunc factus est homo DEUS,**  
qui montium voragine,  
& collium crepidines  
sermone solo struxerat.

**Nunc factus est homo DEUS,**  
artus puellares premens,  
æqualis ut mortalibus  
mortale crimen expiet.

**Nunc factus est homo DEUS!**  
Quis adsequatur sensibus,  
qua lingua fando nunciet,  
volvatvè cogitatio?

**Nunc factus est homo DEUS!**  
Mysterij profunditas,  
quam non acumen spiritûs  
examinet subtilius.

**Nunc factus est homo DEUS**  
trans cuncta lucens gloria,  
supra locum, tempus supra,  
qua dicier linguâ queunt.

**Nunc factus est homo DEUS!**  
de carne mortali exiit  
caro munda castæ virginis  
& absq; noxâ criminis.

Nunc